ob'ectationis eſt obire ſui ſtatus officia? Quantumvis modicum honeſtatis, religionis, rectique ſenſus ſuperſit, poteſtne bonæ conſcientiæ ſuavitas non guſtari? Virtus ſubigit cupiditates, quam victoriam quot præclari fructus non conſequuntur, cum interim, qui iis inſerviunt, ſub earum vinculis ingemiſcunt? Nequicquam diſſimulas, nequicquam perſonam geris, & extrinſecus callide gaudium adjectas. Hoc ne minimam quidem moleſtiam extinguit. Hæ anxietates, ſollicitudines, quæ imperfectum quemlibet ſubſequuntur, pulcherrimum concinnant virtutis bonorum elogium, & produnt ſecreta tormenta, quibus impii laniantur; cum interim, qui ſerviunt Deo, imperturbabili pace, interiorique lætitia, quæ nullis umquam labefactari poteſt adverſitatibus, perfruantur, ita ut qui horum non ſequuntur exempla, eorumdem tamen invideant felicitati. Majoribus ſtat ſumptibus eſſe nefarium, quam frugi. Conclamet mundus, & adverſetur veritati, quæ paradoxum ſectatoribus ſuis videtur: experientia tamen fallacia mundi præjudicia confundit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Conſtanter in Dei ſervitute perſeverandum eſt. Non moleſte tulit Jacob ſeptem annos ſervire Labano, quia ſperabat ſe in uxorem conſecuturum eſſe Rachel: quomodo ergo lugebimus tempus illud, quod in Dei ſervitute impendemus? Conſideremus hinc quidem nos ſervire Domino, inde vero cuinam Jacob, & propter quod ſerviebat. Nos Deo omnipotenti ſervimus, & pro mercede gloriam æternam expectamus. Jacob autem ſerviebat Ethnico, & idolorum cultori, a quo decipiebatur, eique ſerviebat propter magnam terrenæ formæ cupiditatem. Sed noſtram cum illius ſervitute comparemus. Videamus, utrum viginti annos ſervierimus Domino, & utrum illi dicere valeamus, quod Labano Rachelis parenti dicebat Jacob: Viginti annis fui tecum: die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Sanctus hic Patriarcha omnia ſacrificabat pro infidelis utilitate; nos vero inertes erimus, & otioſi, cum oſtendere debebimus nos eſſe Dei ſervos? Magnæ felicitatis loco habeamus ſervire poſſe Domino adeo potenti, qui tantam ſervitutis noſtræ mercedem pollicetur. *Ex tractatu de diſcrimine Temporis, atque æternitatis.*

Sapiens juxta Biblicum ſermonem, juſtum ſignificat; vera enim ſapientia ſanctitas eſt. Si juſtus es, omnis tibi cedet utilitas; nam ſi Deus in ſeipſo ſpectetur, nullum percipit ex ſervitute noſtra emolumentum; neque inde fit ditior, aut beatior: *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris?* Job. 23. Deus ergo, ut ſibi præbeatur occaſio te bonis ſuis cumulandi, vult te ſibi deſervire; omnis tibi cedit utilitas, & nihil eſt in hoc genere, quod tibi certiſſime non proſit. *Si Sapiens fueris, tibi metipſi eris.* Prov. 9. Quam uber divitiarum fons virtus eſt! Fruſtra perquiremus in terra bonum aliquod, quod comparari poſſit cum illa. Jacit agricola ſemen ſuum, & certus non eſt metendi; negotiatur mercator, & pecuniam ſuam objicit periculo. Juſti igitur conditio longe felicior eſt, *qui ſi ſeminat in lacrymis, in exultatione metet.* Pſal. 15. Si pro cœlo lucrando negotiatur, novit omnia ſibi ad id merito tribui, & nec vel minimas virtutis actiones mercede ſua poſſe fraudari: *Seminanti juſtitiam, merces fidelis.* Prov. 11. *P. Segneri in Meditat.*

Divinæ Majeſtatis præſtantia exigit, ut perfecte vivamus. Domini, cui ſervimus, magnitudo flagitat, ut illi magno cum fervore ſerviamus. Eſtote ferventes, Apoſtolus ait, ſervitis enim Domino. Quantumcumque conemini, Sapiens ait, Deo ſervituri, & glorificaturi, conatus veſtri numquam meritum illius exæquabunt. Si magnitudo fervoris, quo ſervimus, æſtimanda eſt a magnitudine Domini, cui ſervimus:
*Eccl. 43.* quonam fervore Deo ſervire debemus? Magnus eſt in ſemetipſo, magnus eſt ſi nobiſcum conferatur, magnus ſuapte natura, magnus potentia, magnus operibus, magnus in omnibus: nihil niſi in eodem magnum eſt: *Tu ſolus Altiſſimus.* Quidquid magnum vocatur, non eſt magnum in ſe; ſed dumtaxat noſtrum habita ratione. Magnum nobis videtur, quia ſumus parvi; ſed ſi Deo comparetur, nihilo minus videbitur. Debemus igitur ſervire Deo eo fervore, qui deceat non quidem illius magnitudinem, meritum, quod fieri nullo modo poteſt, ſed viribus noſtris. Verum heu! quid ipſi poſſumus? Cum omnes conatus noſtros exeruerimus, Domine, vere, & cum rubore dicere poterimus, nos inutiles ſervos eſſe; quid ergo erimus, cum hoc nequaquam factum fuerit a nobis? Magnitudo obligationum, quas injicit nobis divinus hic Dominus, cui ſervimus, & magnitudo eorum, quæ ipſi facienda recepimus, nos cogunt, ut ferventer illi ſerviamus. Muneribus hiſce ſine ardore perfungi non poſſumus. *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum*, dicit Dominus Levit. 11. *Eſtote perfecti, quia Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, dicit Salvator Mundi; Amate Deum ex toto corde veſtro. Quænam obligationes? Poſſumus ne iiſdem ſine fervore defungi? Quatenus Chriſtiani tenemur mundo & nobiſmet ipſis abrenunciare; ſequi JESUM, crucem geſtare poſt illum; per arctam viam incedere, nobiſmet ipſis jugiter vim facere, oculum eruere, ſi nos ſcandalo fuerit; videlicet ab iis, qui nobis chariſſimi, atque utiliſſimi ſunt, recedere; Deum omnibus præferre, & ita affectos eſſe, ut bonorum, honoris, vitæque potius jacturam faciamus, quam illum mortali noxa offendamus. Hæc officia omnia ſunt inevitabilis neceſſitatis homini Chriſtiano; poſſumus ne illa ſine fervore, & ſine fervore magno obire? Hic autem fervor poteſtne cum ignavia noſtra, quæ ſumma eſt, conciliari? *P. Nepueu in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Quotuſquiſque Deo ſervire incipiat obeundo Religionis officia. Ubinam ſunt, Domine, qui vere hoc eſſentiale, & inevitabile Religionis munus adimpleant? Ubinam ſunt, qui tibi primas cogitationes impendant, motus primos, prima verba, & primas actiones? Num hæc eſt mundana mulier, cujus monſtroſa ignavia dimidium dierum ſuorum partitur cum ſuorum ornatuum, voluptatumque cura? Num hic negotioſus homo, qui ſtatim hac expergiſcitur, parat infelicis eloquentiæ dolos adeo viduæ, orphaniſque fatales? Num libidinoſus ille, cujus turpia flagitia primis radiis ſuis illuſtrare Sol erubeſcit? Num aulicus iſte, qui vult potius adolere thus idolo fortunæ ſuæ, quam Deo flectere genua? Num eruditus ille, qui de Deo ſcribere audet, & loqui, quin antea quid ſit ſentiendum didicerit? Num artifex iſte, qui plerumque dies Domino ſacros orditur ab opere, quod lege prohibetur? Ita hæc pretioſa vitæ noſtræ pars, & ut ita dicam, hic flos dierum noſtrorum, quem Deo quotidie offerre debemus, avaritiæ, ambitioni, & voluptati impendimus; ita ut ſi excipias aliquot pias animas, quas Clauſtrorum perfugium, vel peculiaris aliqua pietatis profeſſio meditationis exercitatione formavit, omnes Chriſtiani horas, dieſque, menſes, & annos in nugis, ineptiiſque traducant. *Abbas du Jarry.*

Aberravi a fine meo, Deus meus! Me creaſti, ut tibi ſervirem, te colerem, te diligerem. Prorſus oppoſitum operatus ſum. Quin in omnibus actionibus meis gloriam perquirerem, meam dumtaxat voluptatem, & amoris proprii ſatisfactionem quæſivi. Non magis de te ſollicitus fui, quam ſi a te creatus minime fuiſſem. Omnia vitæ meæ momenta pro te erant impendenda, & ubi ea coram te recogito, ne unum quidem invenio, quod dicere valeam vere pro te inſumptum fuiſſe: quoniam ingenium, cupiditas, voluptas, avaritia, & amor proprius fuere principium, & unica mearum actionum cauſa. Modicum, quod feciſſe poſſum, ſi quid tamen boni feci, ſexcentis perverſis intentionibus corruptum fuit, non ſecus ac quamplurimis vitiis, & negligentiis, quæ in illud obrepſerunt, & quæ omnem abſtulerunt fructum bonorum operum, quæ feci. *Auctor recens.*

Intelligo nunc cauſam tumultus, & amaritudinis, quam toties expertus ſum inter ipſas voluptates, quas tanta cum aviditate conquiſiveram, & quarum poſſeſſionem tamquam beatitudinis cumulum reſpexeram. Ea autem eſt, quod cum propter te, Deus, creatus ſim, in te uno requiem poſſum invenire. *Feciſti nos ad te, Domine, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Quamplurimas tibi gratias ago, eo quod omnia ita diſpoſuerim, ut voti compos eſſe nequeam, niſi ſolida, æternaque bona poſſideam. Id ſummo cum rubore confiteor; hactenus vixi in terribili ſtupiditate circum ea, quæ ad ſalutis meæ negotium pertinent. Nihil umquam operatus ſum, ut me ſalvum facerem; e contra vero tot annos id unum facere contendo, ut peream. Tempus jam eſt tandem aliquando, ut agnoſcam cœcitatem meam, & periculum interitus mei. Nonne ſatis diu vagor in fluxorum fragiliumque bonorum perquiſitione, quorum perfruitio tantum abeſt, ut me voti compotem præbeat, ut immo mihi amariſſimam negotium faceſſat? Gratias ago tibi, Domine, quod me propter finem adeo præcellentem creaveris, & propter felicitatem nullum umquam finem habituram. *Recens auctor.*

Laboribus, quantum placuerit, exerceamur, niſi vere propter Deum exercemur, nemo in omnem æternitatem nobis laborum noſtrorum gratiam habiturus eſt. Quaſcumque rationes habeamus, ac religioſe



omnia ſervemus officia, Deus numquam exteriori ſpecie mulcetur; vult, ut ſine ulla tergiverſatione, ac exceptione toti ſimus ipſius; adorari vult in ſpiritu, & veritate, videlicet exigit, ut cum ſinceritate, & rectitudine ſibi ſerviamus. Sed, bona fide, hæccine ea regula eſt, quam plerique e ſæculo ſequuntur? Ipſa etiam devotorum hominum pietas eſtne huic morum diſciplinæ conformis? *P. Croiſet in Receſſuum ſuorum Tomo 1.*

Nulla niſi in Dei ſervitute vera voluptas. Bona, honores, voluptates, nos allicitis; Deus unus pro nobis nullas habet illecebras; tamen ulla ne vera voluptas, præterquam in uno Deo poteſt inveniri? *Feciſti nos ad te, Domine, & irrequietum erit cor noſtrum, donec requieſcat in te*: S. Aug. ait. Nonne hoc millies experti ſumus in iis, quæ perdite amavimus? quæ ubi conſecuti ſumus, factine ſumus votorum noſtrorum compotes. Nonne illa deliberare ſatis fuit, ut eadem contemneremus, atque faſtidiremus? Quamvis noſmet obtundamus, ut minori cum timore erremus: hoc faſtidium, hæc ipſa interior ſollicitudo, qua toto ferme vitæ ſpatio urgemur, vox eſt ſecreta, quæ dicit, nos nequaquam factos eſſe pro creaturis; in terris nihil eſſe, niſi vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nos propter Deum tantummodo factos eſſe. *P. Croiſet pro Receſſu ſingulorum me ſium Tomo primo.*

Liquet Dei ſervum numquam infortuniis obrutum fuiſſe, & Spiritus Sanctus per Prophetam teſtatur, neque illi, neque filiis illius defutura, quæ ad victum ſunt neceſſaria: *Non vidi juſtum derelictum, nec*
*Pſalm. 36.* *ſemen ejus quærens panem.* Si bonus amicus, & herus protegit illum, quem amat, & gaudet illum muneribus ſuis cumulare; quanto magis protegit Deus illos, qui gloriæ ſibi vertunt fideliter ejuſdem ſervitio adhærere. Quomodo illos a vulgo ſecernit beneficiis ſuis. Si quis eorum, qui eidem inſerviunt, bonis temporalibus deſtituitur, inde proculdubio fit, quia hæc bona ſaluti ejus nocerent. Paupertas, humiliatio, contemptus nonniſi in oculis hominum miſeros faciunt Dei ſervos; & hoc in ſtatu magis contenti ſunt, quam ſi refulgerent in ſolio. Ingrediamur in adorabilis providentiæ ipſius clientelam, & quæcumque noſtra futura ſit fortuna, ſemper erit beata, ſi nos probaverimus dignos, qui amemur ab illo. Graviſſimum quodlibet infortunium Deus nobis in commodum, utilitatemque convertet, donec gratia illius perfruemur. Illi igitur conſtanter, fideliterque ſerviamus; enormis enim eſſet infidelitas, & ingratitudo, ſi tot bonis cumulati de illius bonitate diffideremus, cum præſertim de mundi hujus bonis agitur, quæ ille minori habet in pretio, & quibus carere non ſinit in iis, quæ ſunt ad victum neceſſaria, aliquem eorum, qui ſui ſunt. *Pater veſter cœleſtis ſcit, quia his indigetis.* Matth. 6.

Gloriæ nobis vertere debemus etiam coram mundo, quod ſumus ſervi Dei. Qui vult ſervire Deo, palam profiteri debet ſe illi ſervire. Deus magnus eſt Dominus, nec ſinit, aliquem pudore ſuffundit, eo quod ſervituti ipſius videatur addictus. Immo eſt etiam unicus Dominus noſter, & nos ſatis eidem fideles ſumus, ut hanc ipſi qualitatem detrectare nequeamus. Quam enim cauſam in medium proferre poſſemus, ſi nos eidem ſervire puderet? Nonne in nomine ipſius baptizati fuimus? quod ſane nos ſecernit ab omnibus illis, qui ad ipſum non pertinent. Nonne legem illius profitemur? Nonne ejus credimus Evangelio? Subditus Principi ſuo fidelis, miles Regi ſuo devotus vereturne illius inſignia deferre? Nonne libenter illius juſſa capeſſit? Poſſet ne Deus nos ſervos ſuos pati, ſi ſervitutis ejuſdem celeremus indicium, ſi diſſimularemus neceſſitatem, in qua ſumus, mandatis ſuis obtemperandi. Cæterum viventes, ut vivimus, in jugi bonorum, malorumque conſortio, neceſſario præ nobis ferre debemus, utrum Deum ſequamur, an mundum? Sequimur ne Deum? Vivamus igitur tamquam ſervi Dei, penitus a mundo divulſi. Utamur hoc mundo, videlicet opibus, & honoribus, quaſi non uteremur; neque in illis ſupremum bonum noſtrum conſtituamus, ut qui mundo ſerviunt. Hac enim in re nos debemus præ profanis mundi cultoribus eminere, qui illi inhærent propter peritura bona, de quibus Apoſtolus 2. Cor. 2. ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt. P. la Peſſe Tomo 4.*

Omnia ſive animi, ſive corporis bona, cujuſmodi ſunt robur, bona valetudo, intellectus &c. totidem ſunt talenta, quæ ſunt in lucro ponenda, & in Dei cultum adhibenda. Dives, qui pauperibus non opitulatur; ſuperior, qui non efficit, ut Deus ab inferioribus colatur; amicus Principis, qui non utitur auctoritate ſua prohibiturus, ne innocens opprimatur, vel ne jam oppreſſus liberetur, totidem ſunt ſervi infideles, qui non referunt domino ſuo lucrum, quod ex talentis ab ipſo creditis expectat. Omnia prodeſſe poſſunt, & omnia talenti loco ſunt animæ fideli. Ille etiam, qui rebus omnibus ineptus eſt, hanc ipſam ineptitudinem ſuam Domino reportat, tamquam talentum, ſi inde ſit humilior, docilior, & minus audax. Simus ſolum boni ſervi, & amemus illum, cui ſervimus; nec deerit nobis ratio omnia ad majorem illius gloriam traducendi, atque inde honoris ejuſdem incrementum, & animarum noſtrarum ſalutem percipiendi. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo 6.* Tenetur quilibet fidelis in Dei ſervitio adhibere talenta omnia, quæ recepit a Deo.

Præcipit Deus, ut mandata ſua ſervemus, ſi illi arctius, quam vulgo ſæculares adhærere velimus. Ullumne inter ejus præcepta ſunt, quod ad noſtram utilitatem non dirigatur? Ullumne ſuavius extitit jugum, quam Domini, aut onus aliquod levius? Comparemus ea, quæ mundus præcipit ſervis ſuis cum iis, quæ mundus durus ille, & immitis Dominus a ſuis exigit mancipiis. Comparemus ea, quæ nobis facienda ſunt, ut familiæ noſtræ proſpiciamus, ut provinciæ alicujus munera obeamus, ut fortunam licet fragilem nobis comparemus, belli, domi, in mercatura; ut difficili, pervicaci, moroſoque Domino morem geramus, ut amico gratificemur; ut de ingrato bene mereamur, ut in mundo nominis celebritatem obtineamus. Quot nobis labores ſuſtinendi! quot moleſtiæ perferendæ! Quot ſudores, quot vigiliæ! Immodicis ſumptibus exhaurimur; valetudinem noſtram atterimus; dies noſtros abbreviamus, & hæc omnia cum graviſſimo detrimento. Quanto in pretio ſalus ipſa haberetur juxta eamdem mundanorum ſententiam, ſi ad illam aſſequendam oporteret, ut nobiſmet tantam vim inferremus? Et poſt hæc Quadrageſima nimis prolixa videtur; aliquot abſtinentiæ, & jejunii dies nimis duri; minima propter Deum mortificatio non ferenda. O miſeram cæcitatem! Oblectamur ſordibus noſtris; & magis ſapiunt nobis Ægypti cœpe, quam lac, & mel Terræ Promiſſæ. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

# SOCIETAS, ET CONVERSATIO.

*Bonæ, malæque ſodalitates; inutilis, & periculoſus congreſſus; bona, & mala colloquia, & ſermones; cum impiis conſuetudo.*

## MONITUM.

*NEceſſe non eſt admonere, titulum hunc, ſub quo agimus de chriſtiana converſatione, deque bonis, praviſque ſocietatibus, rationem, immo & nexum quemdam habere cum aliis titulis, a quibus vel ſupponitur, vel continetur: exempli gratia, cum amicitia, amicorum electione, peccati occaſionum fuga, bono, & pravo exemplo, immo etiam cum ipſa charitate, vel zelo, qui pro ſalute proximi habendus eſt: reor autem concionatori cavendum, ne diverſa hæc argumenta ita permiſceat, ut de uno dicat, quidquid aliis proprium eſt, ac ſingulare. Facilis eſt hujus erroris fuga; ſinguli enim hi tituli ſatis uberem rerum copiam ſuppeditant, ut tot varii ſermones inſtituantur. Itaque ego ipſe illis ſejungere conabor, nihilque afferam, niſi quod ad bonas, malaſque pertinet ſocietates, videlicet fructum, qui percipi poſſit ex virorum bonorum congreſſu, & periculum, cui ſeſe objiciunt mortales in impiorum commercio: bonos ſermones, qui habendi ſunt, defectus, qui in congreſſu ſunt evitandi, & quid boni ibi fieri poſſit.*

*Attamen ſi ſtructura ſermonis, quam ſibi concionator propoſuerit, expeteret, ut latius de aliquo ex his argumentis, quæ ſatis arctum nexum habent, diſſereret, conſuli poterunt alii tituli, de quibus locuti ſumus, & qui ſuo*

*qui ſuo quiſque loco afferuntur. Ad hæc puto non inutile monitum eſſe, in hoc titulo de ſocietate, atque congreſſu, qui latius paulo patere videtur, ſermonem coarctari tantum poſſe ad malarum ſocietatum fugam, vel potius ad periculum, cui obnoxius eſt, qui cum flagitioſis hominibus conſueſcit; ad utilitatem, quæ ex bonorum ſocietate percipitur, vel etiam ad bonos ſermones, qui in congreſſu inſtituendi ſunt. E re tamen cenſui hæc omnia ſimul colligere, ne titulos multiplicarem, ac interim plura ſuggererem argumenta illis, qui hac in re ſtylum vellent exercere.*

# PARAGRAPHUS PRIMUS.

*Variæ Concionum hujus argumenti ſyſtemata.*

I. CUm quibus conſueſcere debeant Chriſtiani: in ea S. Pauli verba: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*. Ad Philip. 3.

Apoſtolus paucis verbis complexus eſt, atque præſcripſit modum, quo Chriſtiani alii cum aliis invicem, & generatim cum proximo conſueſcere debeant. Verborum S. Pauli ſenſus eſt, nos jam quodammodo in cœlis vivere, nos eſſe quodammodo cives cœlorum per vivam illuc perveniendi ſpem, certamque fidem finis illius, pro quo creati ſumus, aliquando videlicet cœleſte regnum poſſidendi; unde inferri poteſt, congreſſus noſtros aliquam habere debere ſimilitudinem cum Beatorum in cœlo congreſſu; bonum quod ipſi nobis comparabimus.

1. Ineuntes, ac inire quærentes ſocietatem cum ſanctis hominibus, & qui ſublimis virtutis exiſtimatione gaudent.

2. Pios ſermones habentes, ut de iis erudiamur, quæ ad cœlum viam ſternant, utque hæc eos, cum quibus conſueſcimus, edoceamus.

3. Exercentes charitatem, concordiam, omneſque virtutes, quæ in hoc beato commercio poſſunt exerceri. Hoc pacto converſatio noſtra in terris erit in cœlo, & propter cœlum: eaque nos ad illius acquiſitionem excitabit. Hæc eſſe poteſt ſermonis partitio, in ſingulis cujus membris Chriſtiani congreſſus iis opponantur, qui mundani, indifferentes, & noxii poſſunt appellari: 1. qui ineuntur cum flagitioſis hominibus, cum quibus manifeſtum adeſt periculum, ne pervertamur, & corrumpamur; 2. ubi inutiles tantum ſermones habentur de iis, quæ in diem nova accidunt, de principum conſiliis, & geſtis, vel etiam de Proximo, qui in jocum traducitur, cui obtrectatur, & irridetur; ac tandem de ineptiſſimis nugis. Oſtendendum eſt, quam parum digni ſint homine Chriſtiano hi ſermones; cum enim ille cœli ſit civis, cœleſtia loqui eum decet. 3. Notandi erunt vulgatiores defectus, & peccata, quæ in impiorum colloquiis accidunt, & mox latius de illis diſſerere virtutibus, quæ congreſſuum noſtrorum eſſe debent, ut ita dicam, condimenta; & fructum oſtendere, qui inde percipi, & hauriri poteſt.

II. De impiorum ſocietate. Tria paſſim nos ad ineundam cum impiis ſocietatem impellunt, & hæc tria nobis triplex officii, & obligationis genus injiciunt.

Primum eſt ipſa ingenii noſtri natura, quæ ſæpe nos ad conſuetudinem cum illis habendam trahit; & ob id etiam indeclinabilis nos urget neceſſitas quam primum ab illis fugiendi, ubi cum illis verſari cœpimus, quin illos cognoſceremus; idque ne in mores eorum abeamus, eiſque ſimiles efficiamur.

Alterum neceſſitas eſt; cum ad id ſtatus, conditionis, vel generis noſtri officiis cogimur, quæ quidem prætermittenda non ſunt, eoque in caſu adnitendum eſt, ut ex improborum etiam ſocietate proficiamus, eorum impetus patienter ſuſtinendo, noſque in dies magis contra vitium confirmando, deterritos aſpectu malorum, in quæ nos præcipites agit ac moleſtias, quibus nos afficit.

Tertium denique eſt charitas, quæ nonnumquam etiam ad illos inquirendos impellit; atque tunc opera ſedulo navanda eſt, ut qua exemplis; qua ſalutaribus monitis ad frugem revocentur. *Argumentum hoc deſumptum eſt ex Auctore ſermonum in omnia Ethica chriſtiana argumenta in Dominicali, ſermone pro quinta poſt Epiphaniam Dominica.*

III. De ſocietate eorum, qui virtute ſunt præditi, deque conſuetudine cum illis ineunda. Ad examen revocari poteſt primum utilitas, quæ inde percipitur, ut boni fiamus, ex eorum eruditione, conſiliis, & exemplis proficientes; quod certiſſimum eſt.

Secundo ſuavitas, ac voluptas, qua inde perfundimur; quippe cum iis verſamur, in quibus confidere poſſumus, & qui charitatem erga nos habent, & zelum pro iis, quorum noſtra vere intereſt.

Tertio gloria, quæ nobis cedit cum hominibus honeſtis, & quorum explorata probitas eſt, conſueſcentibus; neque enim fieri poteſt, quominus neceſſariam indipiſcamur famam hominum ſaltem bene vivere optantium. Senſim in mores illorum tranſimus, quorum utimur familiaritate; & nihil eorum, quæ ab illis percipimus, non perhoneſtum nobis accidere poteſt.

IV. 1. Malæ ſocietates fugiendæ ſunt, & evitandæ. Patent argumenta. Primum innocens in illis pervertitur; ſecundo vitioſus in flagitiis ſuis ibi confirmatur tertio periculum eſt, ne eadem nobis, ac iis, cum quibus neceſſitudo eſt, immineat fortuna, & exitus idem.

2. Quinam ſint peccatores, quorum præſertim ſocietas, & familiaritas eſt evitanda? Primum illi, qui palam licentiam, impietatem, hæreſim, impudicitiam profitentur. Secundo illi, qui non directe quidem in vitium nos trahunt, ſed qui prohibent, ne bonum operemur, & ne noſtris muneribus perfungamur. Tertio illi, qui clam, & callide in partes ſuas nos pertrahere conantur, & quorum doctrina ſuſpicione non caret; qui non palam quidem in malum nos impellunt; ſed immo non vulgarem morum ſeveritatem nobis inſpirare videntur; ſed qui intus, & in cute cæci ſunt duces, qui nos ſecum præcipites agere cupiunt.

V. Quando liceat cum impiis conſueſcere; & quando ab eorum conſortio recedendum ſit. Liquido patet numquam citra periculum in mala ſocietate permaneri poſſe; attamen non minus certum eſt non deeſſe quaſdam ſocietates, a quibus ſecedere nequaquam licet, ideoque nos haud teneri ad eas omnes relinquendas; & in quibuſdam occaſionibus chriſtianam legem permittere, ut animo tantum, & voluntate receſſio fiat. Occaſiones autem, in quibus non ſine præcautionibus neceſſariis cum flagitioſis hominibus verſari poſſumus, & occaſiones, in quibus ab iiſdem recedere debemus, quia poſſumus, duplicem efficient partem concionis ad erudiendum, & ad praxin ſervandam perutilis.

Occaſiones, in quibus recedere non tenemur a prava ſocietate, deſumuntur, 1. a nativitate. Filius relinquere non poteſt domum patris ſui, ubi ob oculos habet exempla nefaria, & ubi cum ſceleratis familiariter verſari tenetur. Tunc autem ne hujus contagionis labe inficiatur, ſibi diligenter proſpicere debet, & cogitare, ſe habere Patrem in cœlo, cui longe plura debet. 2. A ſtatu, in quo providentiæ ordine conſtituti ſumus: veluti cum uxor virum habet in omne libidinis genus effrænem, impium, omnibuſque abditum vitiis, hunc relinquere non debet, ſed ſuavitate, ac indulgentia, ſi fieri poſſit, pro viribus ad frugem revocare. 3. Aliquando cum peccatoribus congredi licet, ubi aliqua affulget ſpes illos ad officium redigendi.

Occaſiones, in quibus nefas eſt diutius cum impiis, flagitioſiſque hominibus verſari, ſunt: 1. cum in eorum ſocietate, frequentibuſque congreſſibus locum præbemus credendi, vel ſuſpicandi, nos eorum licentiæ velificari, vel ab eorum conſiliis, & cogitationibus non abhorrere, ac in eorum ſenſus migrare: 2. cum non ſolum nulla ſpes adeſt eos convertendi, ſed periculum eſt, ne ipſi pervertamur, tunc enim nihil prætermittendum eſt, quominus ſaluti noſtræ conſulamus: 3. cum per hoc ſcandali occaſionem præbemus aliis, qui hac re excitantur ad familiaritatem cum flagitioſis, nefariiſque hominibus ineundam.

VI. Quæ vitæ ratio ſervanda, ubi cum ſceleſtis ſimul vivere tenemur.

1. Animo ſaltem, & corde ab eorum flagitiis, omnibus modis abhorrere debemus; & ſi minus licet eorum perſonas odiſſe, non magis re, & corpore ab illis ſeparari, ſaltem mente, ac voluntate recedans oportet, odio habentes eorum ſcelera, & improbitatem.

2. Conſtanter perferendæ ſunt eorum perſecutiones, irriſiones, ludibria, quin ideo ab officiis noſtris obeundis ceſſemus.

3. Adnitendum eſt, ut bona patientiæ, & charitatis illis præbentes exempla eos ad frugem revocemus.

De ſo-



De ſocietatibus generatim.

VII. 1. Pravæ ſocietates fugiendæ ſunt veluti occaſio peccati, & vulgatiſſima plurimorum interitus cauſa.

2. In bonorum ſocietate noſmet indulgentes præbere debemus, ne eos lædamus, & ut fructum aliquem ex eorum familiaritate percipiamus.

3. In qualibet ſocietate adnitendum eſt, ut bene audiamus, eidem alicujus utilitatis futuri.

De bonorum ſocietate, & conſortio.

VIII. 1. Horum ſocietas quærenda eſt tamquam perfugium virtutis, & innocentiæ, quæ a reliqua mundi exulat parte.

2. Fructus inde percipiendus eſt tamquam ex pietatis, virtutis, & ſanctitatis ſchola. ubi ſemper perficimur non ſolum quoad vitæ civilis elegantiam, verum etiam quoad chriſtianæ vitæ ſanctitatem.

IX. De congreſſu inter diverſi ſexus mortales, hunc omnino prohiberi non poſſe; dummodo obſerventur hæ conditiones.

Prima eſt, quod innocens ſit, hoc eſt, quod initio criminoſa non ſit, ſed recta, & ſancta.

Altera, quod honeſta ſit, & modeſta, quin aliquid permittatur, quod pudori ſeu verbis, ſeu factis officiat.

X. Quid requiritur, ut chriſtiana ſit converſatio.

1. Ibi Dei nulla eſſe debet oblivio; hoc eſt, ſermo eſſe debet de rebus piis, & quæ ædificent eos, qui ſimul conſueſcunt, & colloquuntur.

2. Proximus ibi lædendus non eſt detractionibus, aculeatis irriſionibus, contentionibus, jurgiis.

3. Qui converſantur, nequaquam videri debent diſſipati; neque permittere, ut ſibi aliquid excidat parum modeſtum, & vel ſua profeſſione, vel charactere ſuo indignum.

XI. De bonis ſermonibus in converſationibus inſtituendis.

1. Religionis, & profeſſionis quam ſumus amplexi, dignitas cogit, ut bonos habeamus ſermones.

2. Zelus, & charitas efficere debent, ut occaſionem hanc amplectamur tamquam aptiſſimam rationem proximum ad virtutem deducendi.

XII. De mundanis ſocietatibus, & converſationibus.

1. Paulatim pervertunt, atque corrumpunt animas, quæ maxime innocuæ ſunt, & quarum ingenium eſt ad bonum, & virtutem proclive.

2. Illis vero, quas non pervertunt, jure ſcandalum adferunt.

3. Prohibent ne quæ corruptæ fuerunt, de converſione cogitent, ne irrideantur, & in ludibrium traducantur.

XIII. De ſocietatibus, & converſationibus generatim.

1. Inſpiciendum eſt ingenium, ac ſtudia eorum, in quorum ſocietate vivere volumus; inde enim boni pendent mores, vel mali.

2. Fidendum non eſt illecebris, & voluptati, quæ reperitur in eorum conſortio, cum quibus familiariter vivimus.

3. Deſiderium cum ſociis conſueſcendi moderandum eſt oppoſito deſiderio ab illis, ubi fieri poſſit, recedendi, & ſeceſſus amare, quæ nota eſt animi ex iis, quæ Dei ſunt, voluptatem percipientis.

XIV. Cur adeo periculoſum ſit adoleſcentibus cum nefariis ſodalibus conſueſcere.

1. Propter ætatis imbecillitatem, quæ omnibus pravis impreſſionibus patet; qui periculoſiſſimus eſt ſcopulus, qui inveniatur in vita, & cui, ut parentes, & iis, quibus ætatis hujus cura credita eſt, quam diligentiſſime caveant, Sancti Patres hortantur.

2. Quia facile non eſt illos ex hoc periculo retrahere, ubi habitum efformaverint.

Quia naturaliter malum potius, quam bonum imitantur, & primæ impreſſiones, quas in pravis ſocietatibus recipiunt, in omnem vitam perſeverant.

XV. Dei filius in ſociabili vita, quam inter homines duxit, tria præſertim nos docet.

1. Modum utiliter cum hominibus converſandi, omnibus benefaciens, alios erudiens, aliis exemplum oſtendens, & de omnibus optime merens.

2. Ferre defectus eorum, cum quibus verſamur, quemadmodum ille diſcipulorum rude ingenium ferebat, &c.

3. Vim, qua malis exemplis reſiſtendum eſt, & pro virtute ſtandum.

## CAPUT II.

*Fontes, Auctareſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſita concionum argumenta pertractanda.*

Sancti Patres. S. Ambroſius *lib.* 1. *de Officiis* docet, quomodo noſmet gerere debeamus in conſuetudine eorum, qui mobiles ſunt, & incommodi.

Idem *cap.* 45. *libri ejuſdem* eam oſtendit utilitatem, quam bonorum ſocietas, & familiaritas adfert.

Idem *in S. Lucam l.* 4. *& ſerm. de cathedra S. Petri* docet, quanti periculi ſit cum impiis conſueſcere.

S. Auguſtinus *Confeſſ. l.* 2. *c.* 9. non ſine lacrymis narrat, quanti ſibi ſteterit contagioſa malorum hominum conſuetudo.

Idem *l.* 3. *c.* 8. *&* 9. ait, ſe nequaquam auſum fuiſſe patrare ſcelera, quorum ſeipſum accuſat, ſi ſolus fuiſſet; malorum conſortia criminum ſuorum cauſa extitiſſe.

S. Hieronymus *in Epiſt.* 4. *ad Furiam* imperat huic, ut adoleſcentum, eorum vero, qui æquo ſolutiores ſunt, ſocietatem evitet.

Idem *in Epiſtola ad S. Damaſum Pp.* hæc proferens Iſaiæ cap. 6. verba; *in medio populi polluta labia habentis ego habito*, docet, quanti referat pravas ſocietates effugere; quod ipſum argumentum Epiſt. 47. pertractat.

Origenes in librum Job ſanctum hunc virum celebrat ob id potiſſimum, quod inter Ethnicos vivens, fidelis vero Deo eſſe non deſiit; neque moribus eorum corrumpi, atque inſici paſſus eſt.

S. Baſilius *in regulis fuſius diſputatis quæſt.* 6. pluribus Scripturæ locis oſtendit, quam pernicioſa ſit bonis ſocietas, & neceſſitudo impiorum; de qua re loquitur etiam homil. 9.

S. Chryſoſtomus tom. 5. homil. 24. cui titulus, *de converſatione optima.*

S. Gregorius *lib.* 1. *in Job cap.* 1. oſtendit, quænam utilitas percipi valeat ex impiorum conſortio, quod evitari non poteſt.

Idem fuſius hoc ipſum tractat argumentum hom. 9. in Ezechielem.

Idem *in Pſalm.* 1. *Pœnit.* hæc Regii Prophetæ Pſal. 6. explicans verba; *Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*; oſtendit cum impiis conſuetudinem contrahendam non eſſe.

Trithemius *l.* 2. *ad Monach.* integram habet homiliam, cui titulus; *De pravorum conſortio fugiendo.* Aſcetici aliique.

P. Suffren in tom. 1. anni chriſtiani amplum, ſolidumque habet tractatum de converſatione, ubi fere ea collegit omnia, quæ dici poſſunt.

P. Dozennes in libro, cui titulus, *moralis Jeſu Chriſti*, diſcurſum habet de converſatione.

P. Nepven tom. 3. chriſtianarum conſiderationum, unam habet de converſatione.

Idem in receſſu utiliſſimam habet hujus argumenti conſiderationem.

Liber cui titulus, *Inſtructio chriſtiana pro puellarum educatione cap.* 8. docet, quam pernicioſæ earum integritati ſint mundanæ cum adoleſcentibus conſuetudines.

Liber, qui inſcribitur, *Adoleſcentia in pietate chriſtiana inſtitutio* a Gobinet edita.

P. Craſſet libro, cui titulus: *Chriſtianus in ſolitudine*, conſideratione ſexta.

Matthias Faber parte 3. Operis tripartiti in variis concionibus. Concionatores.

Engelgrave *in Cœlo empyreo in feſt. Epiphan.*

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta unum habet de impiorum conſortio, praviſque ſocietatibus. *Tom.* 1. *Dominical. ſerm. pro Dominic.* 5. *poſt Epiphan.*

Idem in toto myſteriorum Sanctiſſimæ Virginis ſerm. de Viſitatione, loquitur de ſermonibus habendis in viſitationibus, atque converſationibus, & quomodo in illis ſeſe gerere deceat.

Idem tom. 4. ſermonum particularium unum habet de bonis ſermonibus, qui in congreſſibus habendi ſunt; hic autem ſermo religioſos potiſſimum reſpicit.

Ludovicus Granatenſis in locis communibus verbo *Societas*. Qui collectanea ediderunt.

Buſæus in Panario. Verbo *Societas mala.*

Drexellius in Niceta l. 1. c. 9.

Stapleton in Promptuario morali, variis in locis ſed præcipue in Dominic. 16. poſt Pentec. punct. 1.

Berchorius, Labatha. } Verbo *Societas.*

## PARAGRAPHUS III.

*Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.*

*REcedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Num. 16.

*Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Pſalm. 1.

*Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Pſalm. 25.

*Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Pſalm. 105.

*Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Pſal. 6.

*Declinate a me maligni.* Pſal. 118.

*Non adhæſit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoſcebam; detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar; ſuperbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Pſal. 110.

*Vidi prævaricantes, & tabeſcam... Super inimicos tuos tabeſcam... Tabeſcere me fecit zelus meus.* Pſ. 118.

*Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum!* Pſal. 132.

*Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis,... ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a ſemitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt.* Proverb. 1.

*Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit; amicus ſtultorum, ſimilis efficitur.* Prov. 13.

*Ne emuleris viros malos, ne deſideres eſſe cum eis.* Prov. 24.

*Abominantur juſti virum impium; & abominantur impii eos, qui in recta ſunt via.* Prov. 29.

*Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Prov. 22.

*Cum viro ſenſato aſſiduus eſto, quemcumque cognoveris obſervantem timorem Dei.* Eccli. 37.

*Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Eccl. 13.

*Cave ne cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam.* Exod. 34.

*Omnis homo ſimili ſui ſociabitur.* Eccli. 13.

*Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Eccli. 7.

*Recedite, recedite exinde; pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Iſaiæ 52.

*Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis.* Iſaiæ 48.

*Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.* Jerem. 50.

*Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 18.

*Cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter.* Matth. 9. & Marc. 2.

*Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15.

*Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* 1. ad Corinth. cap. 5.

*Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* 2. ad Corinth. 6.

*Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Ad Epheſ. 4.

*Corrumpunt mores bonos colloquia mala* 1. ad Cor. 15.

*Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Ad Philipp. 3.

*Scripſi vobis, ne commiſceamini fornicariis, &c. Cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* 1. ad Cor. 5.

*Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Ad Epheſ. 5.

*Ne commiſceamini cum eo, ut confundatur.* 2. ad Theſſal. cap. 3.

*Annunciamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre deambulante inordinate.* 2. ad Theſſal. 3.

*In omni converſatione veſtra ſancti ſitis.* 1. Petr. c. 1.

*Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam.* Ibid. cap. 2.

*Exite de illa populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Apoc. 18.

*Exempla ex veteri novoque teſtamento deſumpta.*

Exemplum Henoch.

HEnoch ævo mundus jam corrumpi incipiebat, & gliſcente in dies ſingulos labe ſanctus hic Patriarcha, qui Deo ſemper fidelis extiterat, & qui hactenus innocentiam ſuam ſervaverat, illius amittendæ periculum fortaſſe ſubiiſſet, ſi diutius inter flagitioſos, quorum commercium, & ſocietatem evitare non poterat, permanſiſſet. Ideo inſigni cæli beneficio repente ex hominibus raptus eſt, ne, Scriptura ait, per illud commercium aliorum improbitas ad illum uſque ſe effunderet, & ſpiritum hunc rectum, ac innocentem animam ſua labe corrumperet. Deus in hujus viri gratiam ſingularem omnino rem, atque ante tempus inauditam operatus eſt, eumdem ex hoc auferens mundo, quin communem legis mortem ſubiret. Adeo verum eſt impiorum ſocietatem ſua contagione ipſam inficere innocentiam, ac poſſe ſolidiſſimam quamlibet, optimeque confirmatam virtutem corrumpere.

Exemplum Loth.

Loth a ſocietate Abraham viri ea tempeſtate ſanctiſſimi recedens in medio populi nequiſſimi ſibi ſedem conſtituit. Quamvis autem nonnulli Sancti Patres aſſerant divina Providentia ſanctum hunc virum Sodomitis deſtinatum fuiſſe, ut inocentiæ illius adſpectus illis pudorem offunderet ob fœdiſſimas ipſorum obſcænitates, eoſque ad converſionem impelleret; modicus, vel nullus fructus, quem ex illius exemplo populus ille recepit, ſatis oſtendit, ſocietatem bonorum minorem habere vim, ut impiis virtutem ſuadeat, quam impiorum habeat conſuetudo, ut ſanctiſſimos etiam pervertat. Attamen inter Sodomorum flagitia ſe continuit Loth: videat ille quidem generalem populi totius corruptionem, ſed non ſine horrore, & lacrymis illam videbat; & miraculum, quod in illius gratiam operatus eſt Deus, ſatis oſtendit, quam gerat curam juſtorum providentia. Probum hunc virum abire juſſit, vel potius vi quadam una cum tota domo revulſit de medio hominum nequiſſimorum, in quos ultio ſua erat ſævitura; expectavit donec Loth egreſſus in tutum ſeſe recepiſſet; atque tunc cœlo delapſus ignis in cinerem ſceleratiſſimam redegit urbem, & omnia, quæ intus erant, abſumpſit. In coacta hac Loth fuga, tamquam in apertiſſimo exemplo videre eſt, a Deo non ſolum protegi bonos, ſed in horum gratiam impiorum etiam ſupplicia differri. Abraham enim, cui Deus ipſiam a ſe aperuerat conſilium urbem illam funditus evertendi propter obſcæniſſima ſcelera, quæ ibi patrabantur, Dominum obteſtatus eſt, ne cum nocuis vellet innocuos confundere; exoravitque, ut ſi tot inter ſontes decem tantummodo juſti invenirentur, iræ ſuæ cohiberet effectum, atque propter pauciſſimos, qui culpa vacaſſent, tot ſceleratiſſimis parceret.

Exemplum Job.

Hoc illud elogium eſt, unde Scriptura vitam orditur ſancti Job, qui tot aliis de cauſis laudem merebatur, *Vir erat in terra Hus, juſtus, & ſimplex.* Job 1. Quid igitur quæri poſſet, tantumne miraculum eſt, hominem juſtum in magna regione videre? Quot alii juſti extiterunt, quorum vel ipſum nomen reticetur? Sed fidelem fuiſſe inter idololatras, quibus illa abundabat regio, quin in eorum errores abierit; tot inter impios juſtitiam coluiſſe, quin eorum ſcelera fuerit imitatus; hæc illius ſingularis eſt gloria, quæ illi coram Deo, & hominibus tantam gloriam comparavit.

Exemplum Tobiæ.

Quacumque in ſocietate ſimus, ſi providentiæ conſilio, non voluntate noſtra ibi ſumus, poſſumus ſemper imitari Tobiam, qui & in patria, & in captivitate numquam particeps fuit corruptionis eorum, cum quibus vitam ducere tenebatur. Si erat in patria, dum cæteri ſeſe conferebant ad vitulis aureis thura adolenda, *ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini.* Job 1. Sin autem in Ninive infidelis victoris mancipium, dum reliqui contribules ſui prophanis Ethnicorum carnibus veſcebantur, animæ ſuæ innocentiam ſervavit, eamque numquam vel eorum eſca, vel vitiis fœdavit. Hinc inferendum eſt ſi minime liceat corpore, licere tamen ſpiritum malorum hominum conſortia evitare; & ſi ab oculis mundum amovere non poſſumus, poſſe tamen a corde.

Boni malorũ prohibent interitum.

Quærit S. Ambroſius, cur tamdium diſtulerit Deus terris univerſale diluvium immittere; & reſpondet, illum patienter tot nefaria ſuſtinuiſſe flagitia, quibus ſeſe quotidie mortales commaculabant, dum interim juſti aliquot, qui vivebant adhuc in mundo, ab aliorum iniquitatibus erant immunes: ſed poſtquam omnis caro viam juſtitiæ corrupit, & Noe tantum, ejuſque familia generalis expers erat corruptionis, tunc nihil amplius Dei iram cohibere potuiſſe, ne ille ſuum opus deleret. Aperuit igitur cœli cataractas, terraſque tot ſordibus ſe latas aquarum eluvione expiavit, juſtum duntaxat Noe, ejuſque familiam ſibi reſervans, qua iterum cultoribus terras repleret, & mundum novum efficeret.

Obeſt bonis cum malis vivere: prodeſt malis vivere cum bonis.

Rem prorſus miram legimus in Bibliis; videlicet, cum Iſraelitæ poſt captivitatem annorum ultra ſexaginta revocandi, atque ex Babylone in terram patrum ſuorum erant reducendi, litem obortam fuiſſe inter duos utriuſque populi tutelares Angelos; quorum alter precibus Deum fatigabat, ut Iſraelitas quamprimum abire liceret, ne ex infidelium commixtione corrumperentur; alter vero Deum obteſtabatur, ut illi adhuc ibi permanerent pro ſalute, & converſione Babyloniorum ipſius curæ creditorum; quilibet ſua habebant conſilia, timores, cauſas. Undenam hoc? Quia bonis periculoſum eſt cum malis vivere; malis vero utile vivere cum bonis.

Deus vetat, ne juſti impiorum ſocietatem inquirant.

Deus ſemper interdixit juſtis quamlibet cum impiis ſocietatem, ne horum vitiis polluerentur; & ne exemplis horum illecti a recta virtutis ſemita deflecterent. Ita legimus in Geneſi illum præcepiſſe Abrahæ, ut patrium ſolum, domum, omneſque eos, cum quibus arctiſſimis conſanguinitatis, affinitatiſque vinculis conjunctus erat, relinqueret, in aliam profecturus terrarum plagam, ibique novam ſibi poneret ſedem, perinde ac, quantumvis Dei eſſet amicus, metuendum eſſet, ne talis eſſe perſeveraret in regione, quæ Dei erat inimica. In Exodo cap. 34. prohibet Deus, ne Iſraelitæ alienigenas uxores ducant, ne ab his a veri Dei cultu dimoverentur; quod accidit deinceps Salomoni licet mortalium omnium ſapientiſſimo. Et in libro Joſue c. 23. videmus, quibus minis hoc ipſum interdictum inſtauret, atque populo ſuo oſtendat, in quæ ſcelera primum, mox vero in quæ, quantaque mala futurum eſſet, ut his nuptiis, & affinitatibus conjicerentur.

Deus ſæpe in bonorum gratiam impiis quoque temporalia contulit bona.

Attamen ex eodem ſacro textu intelligimus, cum divinæ providentiæ juſſu boni cum improbis vivere, eodemque uti contubernio coacti fuerunt, in eorum gratiam his non ſpernenda bona contuliſſe. Ita augebat ille opes Labani propter Jacob generum illius, donec ille hujus opera uſus eſt fideliſſima; & propter Joſeph domui Putipharis benedixit. In Prophetarum congreſſu prophetavit Saul; & Deus ſæpe miſericordiam exercuit erga populum ſuum propter Abraham, Iſaac, & Jacob; quamobrem S. Chryſoſtomus ait, Sanctos non eos ſolum, qui in cœlis ſunt, ſed eos quoque, qui ſunt in terra, protectores eſſe, ac patronos urbium, provinciarum, & regnorum, his cœli benedictionem promerentes.

Providentia voluit bonos ſemper malis eſſe permixtos.

Ab ipſis uſque mundi primordiis, boni, malique ſemper mixti, ſimulque confuſi fuerunt peculiari quodam providentiæ conſilio; idque non in civitatibus ſolum, verum etiam in privatorum domibus, ac familiis, ut boni eſſent exemplo malis, & mali bonorum virtutem exercerent. In prima orbis familia, Adæ videlicet, Abel, & Cain ſatis diu ſimul vixere. Inter filios Noe, qui in Arca ingreſſi fuerant, unus patri reverentiam non præſtit, & maledicto percuſſus fuit. In familia Abrahæ, Iſmael cum aliquamdiu ſimul cum Iſaac vixiſſet, inde fuit expellendus. In domo Jacob ex duodecim filiis, quos genuerat, Joſeph, qui innocentiſſimus erat, ab aliis undecim venditus fuit, & parum abfuit, quominus e viventium numero exturbaretur.

Quid gerit Deus cum bonis, qui impiorum auxilium vel affinitatem quæſiere.

Aliter ſe geſſit Deus cum juſtis, cum ipſi ex ſe, & contra ejus imperium, impiis ſeſe miſcere, vel cum illis ſocietatem inire voluerunt: permiſit enim, ut alii perverterentur, veluti filii Seth, qui primum quidem in Dei cultu, ac timore eruditi, ac inſtituti fuerant & qui ab affinitates, quas contraxere cum filiis Cain paternæ impietatis hæredibus, non ita multo poſt corrupti ſunt: alii vero acerbiſſimis exprobrationibus, Dei nomine, caſtigati fuere, veluti ſanctus Rex Joſaphat ob initam neceſſitudinem, fœduſque cum impio Achab percuſſum: & alii tandem ſeveriſſimis affecti ſuppliciis, velut ſtrenuus Judas Machabæus, qui victus, cæluſque fuit, eo quod Romanorum amicitiam quæſiverat, & cum illis icerat fædus.

Exemplum S. Joannis Baptiſtæ.

Magnus filii Dei Præcurſor in eccleſia celebratur, eo quod a puero in deſerto conceſſit, ibique permanſit, donec annuntiandus fuit Meſſiæ adventus, quin ullum haberet cum hominibus commercium, ne mundi contagione, & peccatorum ſocietate pollueretur. Itaque habitus ille fuit tamquam Patriarcha; & exemplar eremitarum, eorum videlicet, qui ſeorſim vivunt ab hominibus, quorum exemplis, atque ſermonibus in vitium poſſent impelli.

De Peregrinis in Emmaus proficiſcentibus.

Exemplo peregrinorum in Emmaus proficiſcentium diſcimus, quam vim habeant boni, ac pii ſermones ad fervorem injiciendum, & evitandos eos, qui in Dei cultu intepuerunt; nam cum duo illi Salvatoris diſcipuli morte illius deterriti, quem tamquam magiſtrum ſecuti fuerunt, nutarent in fide, ſtatim ac Dei filius ſeſe illis comitem addidit in via, & aliquamdiu ad illos collocutus eſt, faces illæ extinctæ, atque fumantes adhuc iterum inflammatæ ſunt ad acceſſum ignis divini, quo illos afflavit, ita ut novo ardore ſuccenſi Jeroſolymam fuerint reverſi: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Luc. 24.

Cauſa lapſus S. Petri.

Permiſit Deus, ut Apoſtolorum princeps, & caput laberetur, non ſolum ut ille ſuam agnoſceret infirmitatem, ejuſque præſumptionem puniret; verum etiam, ex quorumdam ſanctorum Patrum ſententia, quia pravo ſeſe implicuerat conſortio intra Pontifices, ſatellites, & miniſtros ſe commiſcens, qui feſſi erant, eo quod Salvatorem in Olivarum horto ceperant, & qui indigne illum in judicis aula probris, conviciiſque laceſſebant, ubi eorum dicteriis, atque irriſionibus traditus fuerat.



Deus nonnumquam parcit impiis in gratiam juſtorum.

Sæpe uſuvenit, Deum iram ſuam cohibere, ac differre ſupplicia, quæ de impiis expoſceret, niſi rationem habere vellet juſtorum, ne hos eadem involvat calamitate. Ita in Apoſtolorum Actis legimus cap. 27. cum S. Paulus Romam verſus navigaret, adeo vehementem repente obortam fuiſſe tempeſtatem, ut omnes, qui eadem vehebantur navi numero 276. de vita ſua jam deſperaverint, ac ſe propediem in nullam reditus ſpem interituros crediderint. Verum cum Angelus Domini S. Paulo apparuiſſet, pollicitus eſt illi, futurum, ut in gratiam ipſius nemo itineris ejuſdem ſocius interiret. Ecce quid illis magni hujus Apoſtoli profuit ſocietas: *Ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* Act. 27.

*Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.*

C*Haritas patiens eſt; benigna eſt &c.* c. 1. ad Corinth. 13. Charitas in congreſſibus omnino eſt neceſſaria, ne mali ſint, & ut boni fiant; atque notatu dignum eſt, conditiones, & effectus omnes, qui in loco hoc celeberrimo ab Apoſtolo charitati tribuuntur, nullibi magis habere locum, neque alibi quam in converſationibus, eſſe utiliores. Procul enim arcet ſuperbiam, avaritiam, iram, lævas de proximis ſuſpiciones, atque contentiones omnes, quæ inde ſuavitatem omnem exturbant. E contra vero patientia, affabilitas, indulgentia, aliæque virtutes, quæ charitatis comites eſſe conſueverunt, ibi locum ſuum nanciſcuntur, omnemque congreſſuum dulcedinem faciunt. Ibi gloria potius ſibi vertere quilibet debet aliis cedere, quam pertinaciter, & mordicus repugnare; nemo illic lædendus eſt, nemo ſe ulla re lædi putare debet, atque in id adniti, ut omnibus placeat, ita tamen ut Deo non diſpliceat. Hoc pacto bene converſandi artem noſſe idem eſt, atque charitatem, omneſque illius partes adimplere.

Impios a ſocietate proſcribere idẽ eſt, ac proſcribere vitium.

*Auferte malum ex vobis.* 1. ad Corinth. 5. Eruditiſſimus auctor commentariorum, qui inter S. Ambroſii opera circumferuntur, hæc Apoſtoli verba dupliciter explicat; 1. eliminate malum hominem a ſocietate veſtra; 2. ejicite peccatum, quod unicum in terris malum eſt, auferte malum ex vobis. Sed quocumque in ſenſu intelligantur, alter ad alterum redit; Apoſtolus quippe monet e ſocietate noſtra hominem nequam exterminare, ſimulque omne peccatum ex corde ejicere, neque enim cum vitioſis citra noxam, & Dei offenſam conſueſcere poſſumus, prohibentis ne noſmet objiciamus periculo in eorum mores, & vitia abeundi.

Cum impiis facilius corrumpimur, quam illos convertamus.

*Ne commiſceamini cum illo* 2. ad Theſſal. 5. Hæc verba, quibus Apoſtolus utitur ſuaſurus, ne cum homine nequam conſueſcere audeamus, notanda ſunt: non enim dicit ſolum, ne ullam cum hoc familiaritatem ineatis, ſed ne commiſceamini cum illo. Aqua, quæ pura eſt, non corrumpitur, licet aquæ corruptæ ſit proxima; verum ſi commiſceantur utraque ſimul, illa corrumpitur; & commixtio id agit, quod propinquitas agere nequit. Si dimidiatus calidæ in dimidium frigidæ calix infunderetur, qualitates eorum non minus quam ſubſtantiæ commiſcerentur, calida quidem caloris, frigida vero frigoris ſui partem amitteret. Hoc ipſum accideret, ſi pura cum lutulenta miſceretur aqua, pura quidem lutulenta fieret, lutulenta vero nequaquam emundaretur. Sæpe cum flagitioſo homine verſaris, ultro citroque illum & excipis, & convenis; hi non ſunt, ex Apoſtolo, ſimplices acceſſus, hæc eſt commixtio, ſed proh miſeram commixtionem! Nequam ille nec monitis, nec exemplis convertitur; illum non corripis, immo neque audes; aqua hæc in ſua corruptione permanet; at non hoc ipſum accidit in te: innocentiam amittis tuam; ſuperantur conſilia tua, non ſecus ac monita, & exempla tua; eras tamquam defæcatiſſima lympha, ſed hac commixtione corrumperis.

Vitioſi quorum converſatio jucundior eſt, ſunt magis perîculoſi.

*Si te lactaverint peccatores &c.* Prov. 1. Nihil melius exprimit modum, quo vitium in vitioſorum hominum conſuetudine gliſcit, quam hæc lactis ſimilitudo a Sapiente uſurpata; ſeu velit innuere, vitium blande fluere cum ſuavitate, & voluptate per modum ſolatii; ſeu quod nutrices cum lacte ſimul mores, ac ſtudia ſua pueris, quos ſuis alunt uberibus, communicant: ſeu quod ex medicorum ſententia virus numquam magis pernicioſum eſt, neque mortem infert præſentiorem, quam ubi cum lacte ſimul hauritur. Ita perniocioſiſſimi peccatores illi ſunt, qui callidius, & jucundius in hilari converſatione vitium, & corruptionem inſpirant.

Nihil nobis eſſe debet cũ impiis commune.

*Excutite pulverem de pedibus veſtris &c* Matth. 10. Quæritur,

ritur: undenam profecta ſit hæc apud Judæos conſuetudo excutiendi pulverem de calceis, cum de loco aliquo egrederentur, ubi parum benigne fuerant excepti; & quid per hæc innuere vellet Salvator Apoſtolis ſuis, cum interclusus ille fuiſſet aditus in urbes, quo evangelium prædicaturi ſe ſe contuliſſent. Eruditiſſimus Cardinalis Cajetanus ait, hoc ab illis fieri voluiſſe, ut oſtenderent ſibi nihil eſſe commune cum peccatoribus, quorum ſalus deſperabatur, nihilque ab illis accipi poſſe, immo neque pulveris granum; & ſicuti illi a nobis recipere detrectant bonum, & virtutes, quas illis inſpirare vellemus, ita neque nos velle vel minimis ipſorum ſordibus fædari, nihil enim prætérea ex eorum ſocietate, atque colloquiis referre poſſemus.

Qua in re impii non numquam bonis utiles ſint.

*Major ſerviet minori*. Geneſ. 25. Hoc dicit Scriptura de Eſau, & Jacob, futurum videlicet ut natu major minori famularetur. *Serviet*, quemadmodum S. Auguſtinus interpretatur, non ſolum illi ſubmiſſus, ſubjectuſque erit, uti vulgo explicatur, ſed ſerviet, quomodo dici ſolet aliquis nobis profuiſſe, dum obeſſe vellet, atque noſtram procuraſſe utilitatem, dum nobis interitum ſe putabat allaturum; *Serviet non obſequendo, ſed vexando*.

*Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. 1. ad Corinth. c. 5. Apoſtolus ita loquens ſupponit, unum dumtaxat hominem nequam corrumpere poſſe totam e ſanctis omnibus compoſitam maſſam, quomodo vero nunc impiorum multitudo unam dumtaxat animam facillime perdere, & corrumpere poteſt? Inter hoc, & S. Pauli ſeculum id diſcriminis intereſt, quod tunc mali ſeparabantur a bonis, nunc vero boni a malis ſeparandi ſint; tunc enim pauci inter Chriſtianos erant mali, boni vero plurimi; hodierna vero die pauciſſimi boni ſunt in tanta impiorum multitudine. In hac tamen ab impiis ſeparatione in corde ſemper ſervanda eſt charitas, atque conſenſus cum illis, & ſi corpore ab illis ſeparamur, hoc fieri ſimpliciter debet, ut ab eorum vitæ genere abhorreamus, & cum illis quam minimam habeamus conſuetudinem, quin prudentiam, & charitatem lædamus: *Si ab iniquis recedere non potes, recede ab iniquitate*, S. Auguſtinus ait.

## PARAGRAPHUS IV.

*Loci, & ſententiæ ſanctorum Patrum hujus argumenti.*

*Ad inſtructionem jungi bonis, multum prodeſt, & ad probitatis teſtimonium*. Ambroſ. cap. 45.

*Oſtendunt adoleſcentes, eorum ſe imitatores eſſe quibus adhæſerint: ea convaleſcit opinio, quod ab iis acceperint vivendi ſimilitudinem, cum quibus converſandi hauſerint cupiditatem*. Idem ibidem.

*Gratulandum eſt cum mali de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oves Chriſti ſeva ſua & venenata contagione prædentur*. Cyprian. de ſimplic. Prælat.

*Fuge perſonas, in quibus poteſt mala converſationis eſſe ſuſpicio*. Hieronym. Epiſt. ad Geruntiam.

*Proclivis eſt malorum imitatio; & quorum virtutes aſſequi nequeas, cito imiteris vitia*. Idem Epiſt. 7.

*Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habeas aut perire aut recedere? quis mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos carpit?* Idem Epiſt. 147.

*In ſolitudine, cito obrepit ſuperbia*, Idem Epiſt. 4.

*Tales habeto ſocios, quorum conſortio non infameris*. Idem Epiſt. ad Nepor.

*Præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos me puderet minoris decoris, cum audirem eos jactantes flagitia ſua, & tanto glориantes magis, quanto magis turpes eſſent*. Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap. 9.

*Libebat malum facere non ſolum libidine facti, ſed etiam laudis*. Idem Ibidem.

*Ne putetis gratis malos eſſe in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum; omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ut per illum bonus exerceatur*. Idem in Pſalm. 54.

*Tu ſcis Domine, dum talia loqueretur, ut mundus nobis inter verba vileſceret*. Ita loquitur de matre ſua. Idem in Confeſſ.

*Nihil ita perſequitur vitam juſtorum, ut vita iniquorum; non, dum cogitur imitari quod diſplicet, ſed dum cogitur tolerare quod videt*. Idem.

*Coram pio vivens impie, etſi non obligat conſentientem, cruciat tamen ſentientem*. Idem.

*Non eas converſationis habenas immittit*, Paulus, *ut, quoniam neceſſe eſt convivere, & compeccare poſſimus: licet convivere, commori non licet*. Tertull. de idolol.

*Penſate quæſo, ubi erit patientia, ſi deeſt quod toleretur! Ego Abel non ſuſpicor, qui Cain non habuerit; boni enim, ſi fuerint ſine malis, perfecti eſſe non poſſunt, quia minime purgantur*. Greg. l. 9. Epiſt. 39.

*Ipſa malorum ſocietas, purgatio bonorum eſt*. Idem, ibidem.

*Vitari ſocietas malorum debet, ne ſi fortaſſe corrigi non valent, ad imitationem trahant; & cum ipſi non mutentur, eos, qui ſibi conjuncti fuerunt, pervertant*. Idem Homil. 9. ſuper Ezech.

*Sicut malus aer aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ita perverſa locutio aſſidue audita infirmantium inficit animos, ut tabeſcant delectationes pravi operis, aſſiduitate curioſi ſermonis*. Idem, ibid.

*Non valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis: ſicut enim gravioris culpæ eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi præconii eſt bonum etiam inter malos extitiſſe*. Greg. l. 1. Moral. c. 1.

*Bonus ſic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut cito ab invicem ſeparentur; amicitia enim, pares aut quærunt, aut faciunt*. Chryſoſt. ſup. Matth.

*Rerum natura eſt, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur*. Idem, ibidem.

*Melius eſt habere malorum odium, quam conſortium. Sicut bona multa habet communis vita Sanctorum, ſic plurima mala affert ſocietas malorum*. Iſidor. lib. 2. Colloq.

*Inter bonos bonum eſſe ſalutem habet, inter malos vero laudem. Illud tantæ felicitatis eſt, quantæ etiam ſecuritatis? hoc autem tantum habet virtutis, quantum difficultatis*. Bern. in Epiſt.

*Bonos in conſilio, bonos in obſequio, & bonos habeas contubernales, qui vitæ & honeſtatis tuæ cuſtodes ſint & teſtes*. Idem, ibidem.

*Remedium eſt, quem converti velle non videris, vitare, ſi poſſis*, Caſſiod. in Pſal. 19.

*Hi veraciter boni ſunt, qui in bonitate perſiſtere etiam inter malos poſſunt*. Gregor. in Moral.

*Omnium ſocietatum nulla præſtantior, nulla firmior eſt, quam cum viri boni moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti*. Seneca Epiſt. 11.

*Nulla res magis animos inhoneſtos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio; paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aſpici, frequenter audiri*. Idem, ibidem.

*Cum iis converſare, qui te meliorem facturi ſunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores*. Idem, ibid.

*Sumuntur a converſantibus mores: & ut quædam in contactu corporis vitia tranſeunt, ita animus vitia ſua proximis tradit*. Idem, l. 3. de ira.

*Nemo vitioſus non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit*. Idem, Epiſt. 7.

## PARAGRAPHUS V.

*Quid hoc in argumento ex Theologia pœnu valeat depromi.*

Quid ſit ſocietas, & converſatio.

Societas, ex D. Thoma *in opuſc. contra impugn. religionem c.* 5. hac voce in ſenſu magis proprio accepta, eſt unio duorum, vel plurium ſimul viventium, vel eodem utentium contubernio, pro communi utilitate, vel majori vitæ, aut officii ſui commoditate. Verum cum iſtic de converſatione præſertim agatur, cujus alius finis eſt, & alia ratio, credo dici poſſe, ſocietatem eſſe, in latiori ſenſu deſumptam, hominum, qui ſimul coeunt, vel fortuito ſimul conveniunt, de iis, quæ accidunt, & quæ paſſim neque præmeditata ſunt, neque in anteceſſum ſtatuta, collocuturi. Hinc fit converſationem differre propter perſonas, colloquia, quæ ab illis habentur, & finem, quem ſibi proponunt. Itaque bona eſt, vel mala, ſeria, vel hilaris; utilis, vel noxia; honeſta, cum ſcandalo conjuncta, indifferens pro earum circumſtantiarum varietate. Et quemadmodum finis, quem vulgo ſibi proponunt homines, eſt temporis cum aliqua jucunditate traducendi, proprie appellari converſatio non poteſt magiſtratuum conſeſſus, qui de rebus publicis deliberant, neque medicorum congreſſus, qui congregantur, ut de morbi alicujus natura, ac remediis diſceptent, neque judicum concilium, qui litem ſunt dijudicaturi; ſed tantum amicorum ſocietas, vel eorum, quorum grata, jucundaque eſt conſuetudo, qui hac mente conveniunt, ut mutuis ſermonibus tempus fallant; atque viciſſim aliquid conferant alternæ oblectationi, & perfectioni vitæ, pro ut illis ſe ſe offerre poteſt occaſio.

Cum homo natus ſit ſociabilis, naturaliter in ſocietate,



tate, atque converſatione complacet ſibi, ut inquit Ariſtoteles, ac dici poteſt ſocietas in omnibus humanæ vitæ ſtatibus eſſe neceſſaria. Homo illam amat, velut rem, qua omne ſibi tædium aufertur; & quæ convenit ipſi: illa non parum virtuti confert, S. Hieronymus inquit, quia proximi ſanctitas nos erudit, atque humiliat. Sed ut ſocietas iſta, quam amamus, utilis fiat, non ſine magna moderatione, ac prudentia eadem utendum eſt. Quemadmodum ſolitudini aliquid ineſt horridum, ac triſte; ita mundi turba non minus incommoda eſt, quam periculoſa. Status præ cæteris magis optandus medius eſt inter utrumque in commercio electorum quorumdam mortalium, cum quibus conſueſcimus, ad receſſus quidem tædium, multitudinis vero tumultum evitandum.

Sacrabilis vita pluribus in rebus ſolitariæ præferenda eſt.

Quamquam ſolitaria vita majori cum innocentia ducitur, quam quæ in jugi hominum commercio implicita eſt, inficias tamen ire nemo poteſt, quominus pluribus in rebus vita ſociabilis ſolitudini ſit præferenda: homo quippe ſolitarius quamplures exercere nequit virtutes, quas ille poteſt, qui cum aliis conſueſcit. Ille enim quam exercebit cum ægrotante, vel mœrente charitatem, ſi neminem videt? Quam patientiam, ſi nemo illi reſiſtit, vel illum afficit injuria? Quam obedientiam, vel ſubmiſſionem, ſi ſuperiorem non novit, a quo ſibi imperetur? E contra vero in vita ſociabili inceſſanter plurimarum virtutum exercendarum occaſiones occurrant, quamvis alieni dumtaxat ferendi eſſent deffectus; præter quamquod exempla virtutis eorum, cum quibus verſamur, magnæ ſunt, præſenteſque cauſæ, ut nos ad virtutem excitent, atque ad imitandum inflamment.

Cuinam rei innitatur ſocietas, & converſatio.

Omnes homines mutuo quamdam fovent generalem ſocietatem, quæ naturæ ſimilitudini innititur: ejuſdem urbis cives aliam inter ſe alunt, quæ communi innititur utilitati; peculiares amici aliam, quæ in ingeniorum conformitate, ac reciprocis urbanitatis officiis ſita eſt; conſanguinei aliam, quæ in fortioribus, arctioribuſque vinculis conſiſtit; ſed Chriſtiani corpus quoddam efficiunt, quod charitas animare debet; charitas, quæ præcipua etiam eſſe debet converſationis eorum cauſa.

Electio habenda eorum cum quibus vivendum eſt.

Cum magis proni ſimus ad aliorum vitia, pravaſque qualitates, quam virtutes imitandas; cumque communis ſententia ſit, nos plerumque ſimiles illis fieri, cum quibus conſueſcimus, ideo ſemper meminiſſe debemus moniti, quod S. Paulus tradit Corinthiis, bonos corrumpunt mores colloquia prava, non ſecus ac bona colloquia effectum prorſus oppoſitum gignunt. Itaque oppoſitos habet effectus converſatio, & prout inſtituitur, ferre, vel auferre poteſt inſignia mala. Illi ergo eligendi ſunt, cum quibus vulgo converſari debemus; & fugienda eſt conſuetudo cum illis, qui nos corrumpere poſſunt.

Bene converſandi regula.

Ad ſanctam, & ſpiritualem vitam ducendam hanc nobis ſancti Patres regulam tradunt. Quantum in nobis eſt, & ſtatus, atque conditio noſtra ſinunt, receſſum potius, quam converſationem diligere oportet; ita ut non niſi ægre ſolitudinem relinquamus, atque ob majoris boni deſiderium. Id ſi fecerimus, in ipſis etiam ſocietatibus minus diſſipati erimus, ac minus noſmet extrinſecus effundemus. Generatim ut cum mundo verſari diſceremus, converſatio noſtra, ut Apoſtolus ait, ut plurimum eſſe deberet in cœlo, cum ſanctis, ipſoque Deo, ut data occaſione inſpiraremus aliis bonos ſenſus, quos in cœleſti hac converſatione haurire poteremus.

Quando fugienda, vel quærenda ſit impiorum ſocietas.

Quamvis in Scripturis præcipiat Deus, ut malorum ſocietatem, & converſationem fugiamus, ſperandum tamen non eſt futurum, ut illam omnino effugere valeamus, non ſecus ac aliqua in mundi plaga vivere poſſimus; ubi nullus homo nequam inveniatur. Hæc bonorum, malorumque commixtio ſapienter divinæ providentiæ conſilio conſtituta eſt ad utrorumque utilitatem, ut mali ex bonorum ſocietate proficerent, neque bonis patientiæ, heroicarumque virtutum exercendarum deeſſet occaſio. Hac de cauſa non prohibet Deus, ne juſti cum peccatoribus vivant, & commorentur, ubi nullum periculum adſit, quod in eorum ſocietate pervertantur; & charitas ſæpe eos requiri jubet, ubi ſpes adſit aliquam illis afferendi utilitatem, eoſque convertendi.

Non nego ſermones haberi, iter inſtitui, mercaturam exerceri, aliaque negotia tranſigi poſſe cum quolibet mortalium genere; aliquamdiu permaneri poſſe in eadem ſocietate, in qua hominem nequam inveneris, vel in quam hic recens accedat; aliquam cum illo iniri neceſſitudinem poſſe, ubi nondum agnitus fuerit, vel ubi aliqua ſpes illum ad officium revocandi oboriatur. Prorſus a mundo recedendum eſſet, ſi evitandus eſſet occurſus eorum omnium, qui ſecundum Deum minime vivunt; quæ ejuſdem S. Pauli eſt illatio. Ipſa etiam nobis permittit eccleſia familiariter cum illis colloqui, quos propter flagitioſæ vitæ genus a corpore ſuo ſecrevit, niſi eos palam denuntiaverit, ſinit eos a nobis videri, cum illis agi, ſi aliquam ſperamus utilitatem; atque cum illis etiam, quos minime tolerat, quamquam ad id ſeveriſſimas præſcribat regulas, quæ non ignorandæ, obſervandæque ſunt, in occaſionibus neceſſitatis, vel etiam charitatis minime vetat aliquas adhuc levis commercii habere reliquias. Illud vero præſcribit Apoſtolus a particularis perſonæ conſuetudine abhorrendum eſſe, ubi vitæ illius flagitia cognovimus, atque experti ſumus, monita, exempla, preceſque noſtras nullam in animo ipſius vim obtinere.

Quandonam omnino recedendum ſit a vitioſi hominis ſocietate.

Cum homo nequam nos ad peccandum ſollicitat pravo exemplo, ſi præterea addit promiſſiones, munera, illecebras, minas, ſi ſua utitur auctoritate, atque poteſtate, ut nos cogat, tunc citius quam fieri poſſit recedendum eſt ex ſocietate adeo periculoſa, ex converſatione, & commercio, quæ in manifeſtum nos adducunt diſcrimen, ne in æternum a Deo ſeparemur. Et ſi quæ ratio, quam prudens, doctuſque confeſſarius ſatis aptam cenſuerit, ibi ad aliquod tempus adhuc permanere coegerit, vel inde abſcedere minime integrum ſit, quin charitati officiatur, & gravius gignatur malum, id conſilii capiendum eſt, ut quamprimum licuerit, terga vertamus. Donec autem felix hæc ſe ſe offerat occaſio, corde recedendum eſt, & enixis votis pro illis, ac nobis orandus eſt Deus, nihilque induſtriæ prætermittendum, quod mens, & charitas nobis ſuggerere poterunt, ut captum exequamur conſilium diſcedendi, ac prorſus converſationem illam relinquendi.

De converſatione inter diverſi ſexus perſonas.

Inter diverſi ſexus perſonas converſatio neque omnino mala eſt, neque vetita. Hanc plurimorum etiam ſanctorum probant exempla; ſæpe ipſam etiam hoc ſuadet charitas, neque vituperari poteſt, cum ætas, conditio, officium omnem auſert ſuſpicionem: prudentia tamen regenda eſt, ita ut nulla obloquendi, vel lævum judicium ferendi præbeatur occaſio. Verum ſatis numquam vituperari poſſunt nimium hilares converſationes, quæ fere numquam crimine vacant; hi ſolius cum ſola ſuſurri, qui nimiam ſignificant familiaritatem, juſtamque præbent credendi cauſam, non deeſſe utrobique amoris flammam ea præſertim ætate, quæ nimia facilitate ignem ſolet corripere.

Malæ ſocietates recenſentur in numero proximarum occaſionum.

Cum malæ ſocietates inter proximas occaſiones recenſeantur ſaltem habita nonnullorum ratione; (hæc enim occaſionis ſpecies eſt, vel periculo, vel frequentia nulli ſecunda) liquet, quidquid de occaſionibus dicitur, de pravis ſocietatibus quoque dicendum eſſe quoad earum fugiendarum neceſſitatem, ubi earum diſcrimen intelligimus, noſtramque ſalutem in periculum ibi adduci cognoſcimus. Ideo in titulum de Occaſionibus conjecimus, quidquid inter duo hæc argumenta commune invenitur.

## PARAGRAPHUS VI.

*Delecti ex Aſceticis, concionatoribuſque recentioribus loci hujus argumenti.*

In impiorum ſocietate damnamur.

Qui cum impiis conſueſcit, vulgo damnatur; cujus rei duæ potiſſimum afferri poſſunt cauſæ. Prima eſt complacendi aliis ſtudium, quod in urbana vita, & ſocietate adſectatur; altera vero fallax eſt honoris ſenſus, qui efficit, ut turpe cenſeamus ea non efficere, quæ ab aliis fiunt. Fatalem hanc aliis complacendi cupiditatem, quæ efficit, ne diſpliceamus illis, cum quibus vivimus, ea, quæ illi faciunt, & probemus, & ipſi faciamus, ſanctus Auguſtinus flere non ceſſat; cupiditatem quidem, quæ plurimorum criminum cauſa ipſi fuerat. O nimis inimicam amicitiam, exclamat; o incomprehenſibilem animæ errorem! Ex mero complacendi ſtudio, atque ex libidine, ſine proficiendi, nocendive cupiditate, ſine aliquo animi motu, ſine utilitate; idque quia plurimi, qui amantur, id faciunt: *Cum dicitur; eamus, faciamus; pudet non eſſe impudentem*. Conf. l. 2. c. 9. Quot malorum, ac relaxationum in quovis ſtatuum genere cauſa eſt deſiderium iis non diſplicendi, cum quibus vivimus? Secundum leges fallacis hujus complacendi libidinis quoties tenemur menti, animoque noſtro vim facere, ut id faciamus, quod alii faciunt, & ne ſociis diſpliceamus? *Pudet non eſſe impudentem*. Tantane umquam fingi poteſt contra Deum, vel contra noſmetipſos ignavia, ut aliis placitu-

ciſuri in ipſam naturam noſtram tyrannidem exerceamus? *Specimen ſermonum tomo 3. Quadrageſimæ. Sermone pro feria 6. in hebdomada paſſionis.*

*In pravis ſocietatibus ſibi perſuadent homines in hoc honorem ſuum verti, ſi id faciant, quod alii.*

Complacendi cupiditas eo uſque procedit, ut nobis perſuadeat, in hoc verti honorem noſtrum, ſi in ſocietate id fecerimus, quod alii faciunt; ac putant homines turpe eſſe exercere virtutem; ubi a ſolo exerceatur... Quot videmus, qui nequam non ſunt, & eſſe ſimulant, ne tanquam ſingulares habeantur. Eſſent boni, ſi bonos eſſe liceret, quin ſe ſe odio, & irriſioni ſodalium objicerent; ſed naturam ſuam prodere tenentur, ac vim facere ſtudio, quo ad virtutem feruntur, ut ſimulent vitium in partem acceſſuri falſæ gloriæ audacter in vetitum ruendi. Nonne hoc illud eſt quo impelluntur homines, ut de criminibus, quorum vacui ſunt, coram glorientur? Nihil magis me commovet, quam ea ratio, qua S. Auguſtinus hoc malum deplorat, in quod lapſus fuerat in adoleſcentia. Tanta cæcitate me præcipitem agebam, ait ille, ut inter coævos meos me puderet, niſi haberem tot pudenda, quot alii, quæ referrem. Audiebam illos de criminibus ſuis gloriantes, eaque majori jactantia oſtentantes, quo erant fædiora; quibus tunc invidebam non patratorum quidem ſcelerum voluptatem, ſed laudem. Quæ res magis probro digna eſt, quam vitium. Attamen vitioſum eſſe adnitebar, ne probris afficerer, cumque non haberem, unde ſceleſtiſſimo cuique me parem oſtenderem, feciſſe comminiſcebar, quæ minime feceram, ne eo inhonoratior viderer, quo eram innocentior, & ne me contemptibiliorem efficerem, quia caſtior. Fierine poteſt, ut dæmon cogere fideles poſſit, ut non ſolum gratiæ reſiſtant, verum etiam ut naturæ ſuæ vim faciant, ſuumque torqueant ingenium, ut licet inviti damnentur? O graviſſimam hoſtis humani generis illuſionem! cum videt, nullam amplius in peccato voluptatem inveniri, efficit, ut in eodem honor inveniri credatur! *Ibidem.*

*In mundo catervatim damnantur.*

Hinc animæ catervatim ſe ſe in infernum præcipites agunt; uti in evangelio ſcriptum eſt, lolium in faſciculos projici ad comburendum: *Alligate ea in faſciculos ad comburendum*: atque aſſerere poſſumus, tantam videri fidelium turbam, qui in lata, ac patenti via, quæ ducit ad mortem, intereunt. Illi vero colligantur ſocietate impiorum, per quam, & in qua alligati ſunt, & veluti ſimul invicem conſtricti, veluti ejuſdem catenæ annuli, omnes ſequuntur, cum aliquis eorum trahitur. Itaque eorum, qui damnantur, plerique decidunt in infernum, veluti, qui ſimul eodem pereunt naufragio, quo arctius ſe ſe complectuntur, & alternis cohærent, eo magis ſuo conferunt excidio. *Ibidem.*

Quævis pericula converſatio minitetur innocentiæ, quoſcumque laqueos virtus formidet, cum ad homines accedit, cum ſimul cum illis colloquitur, corporis animæque neceſſitates non ſinunt, ut in jugi receſſu vivamus. Qui in ſolitudinum receſſibus conſilii ſui certiſſimi ſe ſe abdunt, facere nequeunt, quo minus aliquando ad tempus ab Angelorum commercio ſe ſe diſpenſent, ad homines redeant, & ab illis opem recipiant, qua carere non poſſunt, & quam rupes, ac nemora illis nequeunt ſuppeditare. Hæc res olim efficiebat, ut ſolitarii ſaltem inter ſe aliquam ſervarent ſocietatem, & cauſa erat, propter quam plures ab aliorum conſortio ſe ſe poterant diſpenſare, ut naturæ, atque conſcientiæ ſuæ neceſſitatibus conſulerent. Verum hinc etiam diſcere tenentur omnes homines, quomodo ſe ipſos gerere debent in commercio, quod evitare non poſſunt; & hoc ſtudium eo magis neceſſarium eſt, quia noſtra vitæ ratio æque aliis eſſe poteſt pernicioſa, ac nobis aliena, & quia par eſt utrobique periculum. *Ex ſermonibus de vulgatiſſimis cauſis flagitiorum mundi, editis a P. Heliodoro Parienſi, e Capuccinorum familia. Sermone nono de converſatione.*

*Bonus in malorum ſocietate corrumpitur.*

Aberas a peccato; horebbas quidquid poterat diſplicere Deo; & quantumvis prona eſſet in vitium concupiſcentia, gratia has peccati reliquias ſuperabat, ſeque contra naturæ ſtudia fulciebat; ſed pravæ ſodalitates contra te una cum natura, & concupiſcentia conſentientibus viribus dimicarunt: expugnatoque corde vicerunt, ut relictis virtutum partibus in partes vitiorum concederes. Hilaritas, quæ in facie, atque actionibus effulgebat, quamvis in corde flagitioſi hominis nequaquam eſſet, illius mores, atque ſermones effecerunt, ut aliqua tibi de religione ſuſpicio oboriretur, eam nempe gravem eſſe, atque incommodam corruptæ naturæ, utque tibi illi placerent ſenſus, qui Deum citra dolorem lædi permittunt. Ita fallaci deceptus ſpecie ſenſim, ac ſine ſenſu in eam lapſus es licentiam, quam antea execrabaris; idque quia a nefaria ſocietate, quemadmodum Deus tibi imperabat, non receſſiſti. *Idem.*

*Quamvis nil aliunde peccatur in mala ſocietate, illam tamen frequentando peccatur.*

Eſto quidem, nondum peccaveris, Dei gratia, non ideo tamen impune tibi licebit abire, eo quod frequens in prava adfueris ſocietate: ſi enim, ut Deus jubet, peccatum horruiſſes, næ ita quidem prope ad illud acceſſiſſes; ac ſi gratiam tanti feciſſes, quanti præcipit Deus, numquam in illius amittendæ periculum te te objeciſſes. Non eadem quidem patraſti ſcelera, ac illi, quorum ſocietatem quæſiviſti, ſed aliud patraſti cum illis congrediendo, quod tibi Deus nefas eſſe voluerat. Læſiſti Deum, non fortaſſe quidem peccatis ejuſdem ſpeciei, ac illi, ſed aliis pluribus, ingenti numero viſitationum acceptarum, redditarumque; atque utinam eadem quoque peccata ſin minus facto, ſaltem voluptate minime patraveris. *Idem.*

Perpendite, quæſo, verba, quibus utitur S. Paulus Apoſtolus 2. ad Corint. 6. ut nos exire cogat de mala ſocietate, in quam fortuito inciderimus: *Exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, eroque Pater veſter, & vos mihi eritis filii, dicit Dominus Omnipotens.* Perpendite, quanti momenti ſit hic receſſus. Apoſtolo non ſatis eſt ſibi a Jeſu Chriſto tradita auctoritas, Moyſem profert, Iſaiam, & Jeremiam, Deumque ipſum loquentem inducit; ac bis repetit, Deum ipſum ita loqui, ac præcipere, ut ab impiorum ſocietate abhorreatis: efficit, ut Deus bis hoc ipſum inſtauret præceptum; memorat quemdam Iſaiæ locum, ubi hoc ipſum mandatum quater repetitum eſt, ac in mentem nobis revocat hoc ab Omnipotente imperari.

*Periculum lædendi Deum in pravis ſocietatibus.*

Multo magis nos obligat Deus, ut a pravis ſocietatibus recedamus, cum nos in ſcelus impellunt, quod ſæpe accidit, & eo uſque procedunt, ut in illud labamur: tunc enim pereundi periculum majus eſt, ac ipſa reſiſtentia noſtra fatigamur. Iteratis hujuſmodi ictibus, & infirmitate noſtra adeo concutimur; ita parum nobiſmet ipſis aliquando invigilamus, ut poſtquam plures ſuperavimus impetus, tandem vel minimo afflatu nos everti patimur; & malo hoc temporis momento majorem habebit vim unicum verbum, quam omnes ſimul ſuperiores conatus habuerint. Quomodo igitur permittere poſſet Deus, ut in adeo pericoloſo ſtatu permaneremus, qui, ne in minus terribili maneamus, interdicit? Quomodo non juberet, nos ab eo loco recedere, ubi multo magis nobis timendum eſt, quam in aliis pluribus, unde tamen exire jubemur. *Idem.*

*Neceſſitas fugiendi, ſacros, qui ſcandalum afferunt.*

Obligatio vero recedendi a ſocietate hominis impii major eſt, ſi crimina facta ſunt publica, ſi ille male audit, ſi illius flagitia paſſim vulgata ſunt; neque eum eo conſuetudinem fovere poteſtis, quin aliquid conferatis ad hoc, ut in peccato ſuo perſeveret, quin in ſuſpicionem eorumdem criminum incidatis, quin efficiamini conſortes effectuum ſcandali, quod ab illo præbebitur. Fortaſſe quædam pudoris reliquiæ plurimos flagitioſos viros cogerent, ut ad frugem redirent, ſi tantum nobis eſſet fidelitatis, atque conſtantiæ, ut ab illorum ſocietate recederemus, ac omnem cum illis conſuetudinem interdiceremus. Hic receſſus, hæc fuga illis oculos aperiret, efficeretque, ut perhorreſcerent tandem eas vitæ ſordes, quarum turpitudinem nemo ferre poteſt, & cor eorum execraretur eam corruptionem, cujus ne odor quidem ferendus eſt accedentibus ad eos. Viſitationes veſtræ illos in hanc mentem inducunt, ut minime credant, ſe adeo inviſos, infameſque eſſe, quandoquidem vos accedere nec pudet, nec piget; neque tantam eorum eſſe luem, quandoquidem illam vel non ſentitis, vel ſaltem diſſimulatis. Rationem hanc adfert S. Paulus, ut nos ad fugam capeſſendam compellat. Ne ullam ineatis neceſſitudinem cum illo, qui inter libidines, & vitia verſatur, ut illum pudeat vitæ ſuæ, cujus infamia eos quoque longius arcet, quos ſibi amiciſſimos erat expertus. Pudor medeatur animo de Deo minorem, quam de hominibus rationem habenti; & injuria, ac dolor, quo afficitur videns ſe ab hominibus deſeri, illum timere diſcat, ne in æternum a Deo ſeparetur. *Idem.*

*Male audit qui cum illis verſatur, quorum vita nefaria eſt.*

Fieri nequit, quominus male audias, ſi in ſceleratorum hominum ſocietate verſari perrexeris. Quomodo enim mortales putent, te illa odiſſe vitia, quæ a te ſæpe, & non ægre videntur? Quomodo arbitrentur, illa tibi diſplicere, quandoquidem mavis in diſcrimen adducere exiſtimationem tuam, quam ab eorum conſuetudine abſtinere, qui flagitioſum vitæ genus palam profitentur? Quomodo ſuſpicio-

ne



re vacat ſalus tua, cum liqueat, te ſæpe adire, ac diu permanere in loco, ubi tetra lues furit, & inter eos, qui eadem infecti ſunt? Fortaſſe flagitioſus, & libidinoſus non es, ut illi, quorum uteris familiaritate, & occaſionem præbens, S. Chryſoſtomus ait, credendi, te iiſdem ſceleribus abditum eſſe; ſcandalum adfers proximo tuo, & in cauſa es, ut te æque nocentem putet, ac eos, quorum gaudes frequentia. *Idem.*

Quinam ſunt iſti effectus; & quid ex hujuſmodi ſcandalis accidere poteſt? Scandala hæc cauſa erunt, quod multi, non ſecus ac tu, ſibi fas eſſe ducent pravis intereſſe ſocietatibus, honorem & conſcientiam negligent; alios & ipſi, ut tu, attrahent; illis perſuadebunt, ut non ſecus ac tu voluptati ſuæ exiſtimationem poſthabeant; cauſa erunt, quod utrique peribunt, ac alios perdent non ſecus ac tu, quod tibi ratio reddenda erit Deo de tuo; deque aliorum interitu, qui nonniſi te ſequentes perierunt, & quod vetuerat Deus, ne exemplo tuo hanc perditionis viam illis oſtenderes. *Idem.*

*Noſmet cõſortes, & reos facimus malorum, quæ in pravis ſocietatibus fiunt, ubi illas frequentamus.*

Arbor eumdem fert fructum, ac germen, quod in aliquo ex ramis ſuis inſitum eſt, & vos eoſdem pravos gignitis effectus, quos ſcelerati ſocii, cum quibus verſamini. Igitur non ſecus ac in illos, in vos quoque pari pœna ſævietur. Juſtitia eos punit, qui fures comitantur, quamquam qui recens acceſſerunt, nihil adhuc fortaſſe furati ſunt: neque eos punit propter conceptum furandi conſilium, neque enim leges humanæ in ſolam criminis patrandi voluntatem animadvertunt; ſed hos afficiendos putat ſupplicio, quia re ipſa furantibus præbebant opem, & ſola eorum præſentia prætereuntibus metum, furibus autem injiciebat audaciam. In pravorum hominum ſocietate verſaris, & licet eadem ſcelera non patraſti, aliquid tamen contuliſti, ut ab aliis patrarentur, cum propter fiduciam, quam fontibus, tum propter ſcandalum, quod illis, qui te norunt, præbes, *Idem.*

Quam difficile cum hominibus converſari, quin Deus lædatur; & vulneretur conſcientia! Perfectus ſit oportet, S. Jacobus ait, qui loquendo non peccat; ſed, addit, qui nequit linguam cohibere ſuam, decipitur, ſi putat ſe verum eſſe Chriſtianum. Numquam cum hominibus fui, ajebat vetus quidam, quin inde minus homo redierim, hoc eſt minus frugi, & bonus. Nonne verum eſt, converſationes veſtras confeſſionum veſtrarum vulgo eſſe materiam? In hoc ego potiſſimum attenti eſſe debemus, nobiſque quam diligentiſſime invigilare. *P. Nepveu tom. 3. Chriſtianarum conſiderationum.*

*Plurimarũ converſationum inutilitas.*

In Converſatione plures evitandi ſunt defectus, ſed vulgatior inutilitas eſt; etenim quodnam eſt argumentum colloquii plerarumque mulierum, earum etiam, quæ devotæ exiſtimantur? Nugæ profecto, & merum nihil. Umquamne ibi de Deo ſermo auditur? qui hunc ſermonem injiceret, ſibilis exciperetur. Ullane res melius Chriſtianorum corruptionem oſtendit? Ullane melius probare poteſt a nobis Deum parum amari? ſi te diligeremus, Domine, ſæpe de te cogitaremus; & ſi cogitaremus, loqueremur etiam; cum in corde noſtro non ſis, ideo non es in ore. Quomodo vero in corde noſtro eſſe poſſes? Quomodo ibi ſimul eſſe cum mundo, qui illic dominatur? Verum ſi inutiles converſationes damnandæ ſunt; quid erunt periculoſæ, & nocentes vanis ſermonibus aut verbis maledicis, & obſcænis diffluentes? *Idem.*

*De vulgaribus mũdanorum ſermonibus.*

Quænam eſt vulgatior materia, circa quam verſantur honeſtorum hominum, & eorum, qui minus improbi cenſentur, colloquia? Omnia circa divitiarum, honorum, voluptatum æſtimationem verſantur. His innixi principiis quamplurimas venditant ſententias evangelicis oppoſitas inſtitutis, ideoque falſas, quin aliquis adverſetur. Si quis afferret propoſitiones aliquot theoreticis evangelii veritatibus contrarias, quicumque vel levem religionis ſenſum foveret, contra hujuſmodi impietatem inſurgeret; verum ſi quædam jactantur placita practicis evangelii veritatibus contraria, hæc plauſibus excipiuntur. At numquid hæ minus de fide ſunt? Attamen Chriſtianus, qui in converſationibus non alios haberet defectus, quos ſibi exprobraret, ſibi complaceret, ac ſui rationem habendam eſſe cenſeret; verum nonne ipſe rationem redditurus eſt ad ſeveriſſimum illud accerſitus tribunal, ubi otioſa quoque verba judicabuntur? *Idem.*

*De pravis colloquiis in congreſſibus.*

Nonne magis adhuc deplorandum eſt, videre fideles inhoneſtis, obſcœniſque ſermonibus polluere linguam toties Jeſu Chriſti ſanguine imbutam: videre mulieres, quarum pars eſt verecundia, ac modeſtia, & quæ ſe Chriſtianas dicunt, in aliis ſolutiora, & æquivoca verba pati, alios excitare oſtendendo ſe illis oblectari, eademque ſibi etiam permittere? Verba hæc nullo in diſcrimine habentur; hilaritatis ſermo cenſentur, & interim Apoſtolus illa peccatis accenſet, quæ nos a cœli patria proſcribunt; & illa eorum, a quibus proferuntur, conſcientiam polluunt, ac ſæpe eorum animas perdunt, a quibus audiuntur. Heu! quot adoleſcentulis æquivocum verbum, obſcæna vox innocentiam eripuit? Verbum illud æquivoce prolatum pravam ciet cogitationem, prava cogitatio pravo excipitur deſiderio, & pravum deſiderium animam perdit eam nocentem efficiens. O crudelem hilaritatem eas perdentem animas, quas Jeſus Chriſtus proprio ſanguine redemit! Væ tibi ſi criminis hujus es particeps! niſi modo illud lacrymis abluis, quot tibi aliquando lacrymarum imbres erunt effundendi! *Idem.*

*Honeſtæ, & Chriſtianæ converſationis regulæ.*

Ut bene converſemur, magno opus eſt ſenſu, qui dijudicet, quid dicendum, faciendumve ſit pro variis temporum, locorum, perſonarumque circumſtantiis: etenim quamvis ſententia per ſe ſcita, atque elegans eſſet, non eſt magnus orationis ornatus, ubi importune dicatur; quemadmodum locupletiſſima vaſa non tantum ornamento ſunt, quam impedimento eo in cubiculo, ubi in loco ſuo conſtituta non ſunt. Bonitate opus eſt, ut noſmet pares illis præbeamus, cum quibus verſamur, ſin minus conditione, ſaltem familiaritate. Hæc eſt cauſa, propter quam Reges converſationum voluptate frui minime poſſunt, ſeu quod ſe ſe aliis pares præſtare nequeunt, ſeu quod, ubi ſeſe demittere dignantur, eorum familiaritas ſine reverentia ferri non poteſt. Honeſtate opus eſt in factis, & dictis; ſi enim converſamur, ut homines decet, eorum, qui nobiſcum ſunt, oculos, aureſque, ſin, ut Chriſtianos, propriam conſcientiam revereri debemus. Jucundo opus eſt genio, nihil enim hoc ſe ſe facilius communicat: ſi triſtis eſt, alios afficimus triſtitia, ſi hilaris, in aliis ciemus hilaritatem, ſi querulus, ac mœſtus, aliis mœrorem noſtrum immittimus. Hic in converſatione ſerenum, ac pluvium tempus efficit: utque duplici verbo complectar omnia, converſatio familiaritatem ſine abjectione, reverentiam ſine metu, animi effuſionem ſine dedecore, urbanitatem ſine adfectatione depoſcit. *Liber cui titulus*: La conduite du Sage, *tomo* I. *cap.* I.

*Defectus in converſatione evitandi.*

Imperioſa morum evitanda ratio eſt, quia ſuperbam denotat animam, quam naturaliter odimus. Neque eo modo loquendum eſt, quaſi de re propoſita definias; ita enim aufers aliis libertatem examinandi, & judicandi ſecundum propria lumina, quæ injuſta dominatio eſt, & in æqualibus excitare poteſt ſecretam contradicendi libidinem, ac repugnandi potius, quam id ſibi perſuaderi ſinant. Si haberi nequit ſententiarum conformitas, quia privilegium hoc eorum eſt tantum, qui arcto amicitiæ fœdere conjuncti ſunt, ſervanda ſunt tamen humanæ urbanitatis officia, a pertinaci quacumque contentione abſtinendo, quin ſemper quocumque pretio victoriam tibi velis adjudicari; alioquin enim difficile eſt ſervare pacem, nec queſtubus occaſionem præbere. Poſſumus quidem ratiocinari cum illis, qui noſtræ adverſantur ſententiæ, cavendum tamen eſt, ne aliquam præ nobis feramus in ſermone acrimoniam: illi enim, quibus rationes noſtræ perſuadere non poterunt, non iracundia, neque vocis noſtræ tono movebuntur; & vulgo non tantum ſententiæ, quam earum offerendarum modi homines provocant. Ita cum videmus, contentionem acerbitatem potius, quam curioſitatem excitare poſſe, homo Chriſtianus, atque honeſtus abſtinere debet, ac ſilentio refutare, quod verbis non potuit. In increpationibus, quas nonnumquam facere tenemur, evitandus eſt oris habitus imperioſus, ferox, ſuperbus, qui nonniſi ſecretum nobis excitare poteſt eorum contemptum, quos ad frugem revocare cupimus; cumque aliquis a nobis admonendus eſt, aculeatis temperandum eſt irriſionibus, quæ efficiunt, ut monita in leviorem partem ſumantur. *Id. tomo* 2.

*In ſocietatibus aliis complacere æquum eſt.*

Quemadmodum homines virtute præditi, cum quibus conſueſcimus, nihil umquam expetent a nobis officio noſtro contrarium, illis abſque culpa poſſumus complacere; neque nobis timendum eſt, ne diſpliceamus Deo noſmet conformantes ſodalibus, quorum votum eſt Deo placere. Sed in iis converſationibus, quæ ſunt indifferentes, cum iis, in quos forte offendimus, chriſtiana indulgentia nequaquam ſe ad verba uſque & facta, quæ Deo diſpliceant, extendit. Societas proximorum ſumptibus alitur, abſens conviciis petitur, indicta cauſa damnatur; ſocietas liberis, parum honeſtis, vel etiam omnino impiis ſermo-